

1606

Literarum
Pontificia-
rum senten-
tia.

prænuntiabantur. Ita humanum genus nonnunquam hisce præstigiis eluditur, futurarumque rerum ignarum investigandi curiositate circumagitur. Prima cura novo Duci fuit, ut Pontificis literæ perlegerentur. Binæ erant, quinto idus decembris datæ, ejusdem prorsus exempli; idque postea Matthæi errore factum, compertum est. Summa fuit: *Pro pontificatus munere Ecclesiæ jura ac immunitates tueri Paulum cogitantem, leges nonnullas partim a majoribus partim a Senatu ipso latas, quæ ecclesiasticæ libertati maxime officerent, animadvertisse; quarum prior erat anni M. DC. III. de novis ecclesiis non exstruendis, religiosissve cœtibz absque Senatus auctoritate inducendis: altera de immobilibus eodem inconsulto in ecclesiasticis non alienandis; quæ antea anno M.D.XXXVI. in civitate ac ducatu lata, nuper ad cunctas Venetas ditiores extensa fuerat: eas porro leges juri libertatique ecclesiæ adversari; qui antea condidissent, æternæ damnationis pœnas luere; Senatum excommunicationis latæ (ut ajunt) sententiæ subjacere: irrita nullaque hæc decreta pronunciare: ut quamprimum abrogentur, atque e tabulis publicis eximantur, jubere: id in omnibus imperii Veneti civitatibus vulgari, sequè statim certiore fieri, præcipere: nisi mandatis Patres obtemperarent, ecclesiasticum fulmen interdictumque adhibiturum.* Hæc ferme literarum sententia fuit; quæ cum in frequentissimo Senatu recitarentur, dici non potest, quantum rei novitate, ac præsertim in majores sanctissimos viros jactatis conviciis ac probris, exarserit. Sed animi impetus magnis rebus assueta Patrum prudentia repressit, ne irarum stimulis perciti, aliquid de Reipublicæ erga Apostolicam Sedem reverentia imminuerent.

Petrus
Duodus ad
Pontificem
orator.
Senatus ad
Pontif. li-
teras respõ-
sum.

Itaque Donati Principis loco, Petrus Duodus, orator ad Pontificem designatur, civis eximia doctrina, pietate, rerumque usu præstans. Mox pontificiis literis Senatus consulto responsum: *Non sine ingenti animi mœrore atque admiratione, quæ binis eadem die eodem exemplo datis literis continebantur, cognovisse: de tollendis etenim iis legibus agi, quibus a trecentis annis imperium majores administraverint; quos sane cum beatissimis spiritibus in cælo Deo Optimo Maximo adstipere sperandum sit: nam quod ad ecclesias absque Senatus*